

Congregatio pro Cultu Divino

Placet nobis hic referre textum Declarationis circa Preces Eucharisticas et experimenta liturgica, qui a Congregatione pro Cultu Divino, die 21 martii 1988 (Prot. 430/88) ad Praesides Conferentiarum Episcoporum atque ad Praesides Commissionum Nationalium de Liturgia missus est.

DECLARATIO CIRCA PRECES EUCHARISTICAS ET EXPERIMENTA LITURGICA

Congregatio pro Cultu Divino, attentis nonnullis inceptis quae in sacrae Liturgiae celebratione inveniuntur, necessarium ducit aliquas normas, quae iam datae sunt et adhuc vigent, circa Preces eucharisticas et experimenta liturgica denuo proponere. De rebus enim agitur in quibus necesse est « consulere, ut universum Ecclesiae corpus eadem mente, in unitate caritatis, procedere valeat ..., ob intimas, quae Liturgiam inter et Fidem intercedunt, necessitudines, adeo ut, quod obsequium alteri exhibetur, in alteram redundet ».¹

I. Quoad Preces eucharisticas adhibendas, Congregatio pro Cultu Divino haec considerat in mentem revocanda, praesertim ex Litteris circularibus « Eucharistiae participationem » desumpta:

1. Praeter quattuor Preces eucharisticas, quae in Missali Romano continentur, decursu annorum Congregatio pro Cultu Divino alias Preces eucharisticas approbavit, sive ad usum universalem, uti sunt Preces pro Missis de Reconciliatione, sive ad usum quarundam nationum vel regionum, uti sunt Preces pro Missis cum pueris, necnon ceterae Preces, quae peculiaribus in adiunctis Conferentiis Episcoporum illas petentibus sunt concessae. Etiam Praefationes approbatae sunt a Congregatione pro Cultu Divino, quae in Missali Romano non continentur.

2. Usus istarum Precum et Praefationum illis tantummodo reservatur quibus concessus est, atque intra limites temporis vel loci, in ipsa concessione definitos, « nullamque aliam Precem eucharisticam sine

¹ S. Congregatio pro Cultu Divino, Instructio tertia *Liturgicae instaurationes* (5 sept. 1970): *AAS* 62 (1970) 694.

venia Apostolicae Sedis compositam vel ab ipsa non approbatam adhiberi licet ».

3. « Ius moderandi rem tanti momenti, cuius modi est disciplina Precum eucharisticarum, Apostolica Sedes, pastorali unitatis amore impulsa, sibi reservat. In unitate ritus Romani legitimas postulationes considerare non renuet, et petitiones a Conferentiis Episcopalibus sibi allatas ad novam Precem eucharisticam peculiaribus in adiunctis forte exarandam et in liturgiam inducendam benigne perpendet; normas vero singulis in casibus servandas proponet ».²

II. Quoad experimenta exsequenda, Congregatio pro Cultu Divino in Instructione « Liturgicae instaurationes » haec declaravit, quae hodie adhuc valent:

1. « Experimenta in re liturgica, si quae necessaria vel opportuna visa fuerint, ab hac Sacra Congregatione unice conceduntur, et quidem scripto, certis ac definitis normis, et sub responsabilitate competentis auctoritatis localis ».

2. « Ad Missam vero quod attinet, omnes facultates experimenta exsequendi intuitu instaurationis peragenda concessae, vim suam amissione censendae sunt. [...] Normae et forma celebrationis eucharisticae eae sunt, quae per Institutionem generalem et Ordinem Missae traduntur ».

3. « Aptationes, de quibus in libris liturgicis agitur — praecipue in diversis Ordinibus Ritualis Romani — ipsae Conferentiae Episcopales pressius definiant et Apostolicae Sedis confirmationi subiciant ».³

4. Si vero ad normam n. 40 Constitutionis « Sacrosanctum Concilium », aliquando agitur de immutandis structura rituum vel partium ordine, quae in libris liturgicis sunt, aut de aliqua re a tradito more aliena, vel de novis textibus inducendis, antequam cuiusvis generis experimenta inchoentur, schema, omnibus punctis definitum, ab Episcoporum Conferentia Apostolicae Sedi proponatur. Nemini autem licet, etiamsi sit sacerdos, dum Apostolicae Sedis responsum exspectatur,

² S. Congregatio pro Cultu Divino, Litterae circulares *Eucharistiae participationem* n. 6 (27 aprilis 1973), *AAS* 65 (1973) 342.

³ S. Congregatio pro Cultu Divino, Instructio tertia *Liturgicae instaurationes* (5 sept. 1970), n. 12, *AAS* 62 (1970) 703.

petitas accommodationes in usum inducere, neque proprio Marte in Liturgia quidquam addere, demere, vel mutare.⁴

5. « Haec est agendi ratio quae tum a Constitutione "Sacrosanctum Concilium", tum rei momento, requiritur ac postulatur ».⁵ De aptationibus, vero, indoli culturali et traditionibus populorum faciendis Congregatio pro Cultu Divino quaedam lineamenta publici iuris faciet.

* * *

« Conferentiae autem Episcopales singulique Episcopi enixe rogantur ut, congruis rationibus adhibitis, sacerdotes sapienter adducant ad unam disciplinam Ecclesiae Romanae servandam; quod bono ipsius Ecclesiae et celebrationis liturgicae rectae ordinationi favebit ».⁶ Namque ad ipsos Episcopos pertinet vitam liturgicam moderari, promovere atque custodire, abusus quidem corrigere, sed etiam plebi sibi commissae theologicum fundamentum disciplinae sacramentorum et totius Liturgiae proponere.⁷

Ex aedibus Congregationis pro Cultu Divino, die 21 martii 1988

PAULUS AUGUSTINUS CARD. MAYER, o.s.b.

Praefectus

✠ VERGILIUS NOË

Archiep. tit. Vancariensis

a Secretis

⁴ Cf. ibidem; cf. Concilium Vaticanum II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, n. 22, 3.

⁵ S. Congregatio pro Cultu Divino, Instructio tertia *Liturgicae instaurationes* (5 sept. 1970) n. 12, AAS 62 (1970) 703.

⁶ S. Congregatio pro Cultu Divino, Litterae circulares *Eucharistiae participationem* n. 6 (27 aprilis 1973), AAS 65 (1973) 342.

⁷ Cf. Conc. Vaticanum II, Decr. de pastorali Episcoporum munere *Christus Dominus* n. 15; cf. etiam Synodus extraordinaria Episcoporum anni 1985, Relatio finalis.